

Dissertatio medica, de podagra ... / [Daniel Hoffmann].

Contributors

Hoffmann, Daniel, 1695-1752.
Camerarius, Elias, 1673-1734.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Johannis Cunradi Reisi, [1716]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ftmrnj49>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE

PODAGRA,

Quam

Consensu Gratiſſæ Facultatis Medicæ

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Nobilissimi, Excellentissimi
atq; Experientissimi,***DN. ELIÆ CAMERARII,**
Serenissimi Ducis Wirtemberg. Confiliarii
& Archiatri, Medicinæ Doctoris & Professoris Publ.
Ordin. Celeberrimi,

Patroni sui & Præceptoris ætatem colendi,

*Exercitii & Speciminis Loco**Ad diem 25. Septembris MDCCXVI.*Publicè defendendam
conſcripſit**DANIEL HOFFMANN,** Stuttgardianus,
Medicinæ Studioſus.**TUBINGÆ,**Literis JOHANNIS CUNRADI REISI. *M. & F.*

Q. D. B. V.

Nter Morbos nostro hoc seculo frequentiores, quibus quam plurimi vexantur, suum quoque & principem fere locum obtinet Podagra, famosus ille divitum olim, nunc vero & pauperiorum Morbus, quamvis Baglivus in *Praxi Medica Lib. II.* experientia edoctus dicat, quod plures interficiat divites, quam pauperes, plures sapientes quam fatuos; quamobrem quidam Medicorum eam morbum Dominorum & ab intensissimis doloribus Dominum morborum appellarunt, in cuius naturam & remedia inquirere, sicque quaecunque studiorum nostrorum Specimen, priusquam ad externos abeamus, edere, nobis in praesens animus est, quod ut feliciter cedat, faxit supremum in caelis Numen.

Thes. I.

Notum omnibus est de Podagra, quod sit Dolor articulo-
rum, maxime pedum, gravissimus, (& per hoc ab erysipellate diversus) diversis periodis rediens; Sunt, qui per inflammationem pedum definiunt, at hæc superveniens potius symptoma, quam ipse morbus est, cum sint podagri-
ci, qui calorem illum inflammatorium intensum plane non experiuntur, praesertim si sint temperamenti frigidioris, phlegmatici, de quo, ut & specie doloris, infra dicemus.

II. SUBJECTUM igitur Podagrae adaequatum est Pes; subjectum vero Primarium sunt partes nerveo-membranosae, tendinosae, articulos cingentes & investientes, vicino perioestio subinde per consensum patiente, quod ex ipsa sensibilitate doloris luculenter patet. Equidem fuerunt, qui subjectum tanti doloris musculos esse dixerunt, propter impotentiam ad motum; Verum non sequitur, adest impotentia ad motum, ergo musculi sunt affecti; nam & membranae tendineae ossa cingentes in articulationibus ad motum requiruntur, & vel aridae, vel, quod huc magis quadrat, nimis tensae motum reddunt difficilem, si non impediendo totius motionis mechanismum, inferendo tamen dolorem ad minimum motum acerrimum, propter tensionem per motum quemcunque supervenientem. Huic sententiae videtur etiam contrariari ipsa dolorum ferocia, musculi enim in se sensu tam exacto non sunt praediti, nisi ratione fibrarum & membranarum;

Alii substituerunt carnes, quod idem, pariterque non omni ex parte veritati consentaneum esse videtur, tum, quia ibi dolorem sentiunt podagrici, ubi caro non est, & maxime quidem circa articulationes in pede, in quibus caro musculosa non reperitur, tum, quod podagrici carnem in superioribus pedis partibus sine exacerbatione doloris contrectare possunt, contra vero à levissima articulorum attrectatione notabile doloris augmentum persentiscunt; neque nunc de rheumatismo liber loqui.

III. CAUSA *Immediata* doloris Podagrici est Contractio spasmodica fibrillarum, sive, uti loquitur Wedelius, vellicatio & lancinatio spasmodica tanquam à spina infixa, quam ii optime describere norunt, qui sentiunt. *Mediata Propinquior* est plerumque conatus naturæ Criticus, quo vult expellere heterogeneous ipsi adversum ad partes exteriores ignobiliores, ne fiat illius heterogenei decubitus in partem aliquam nobiliorem, scilicet in viscus aliquod, unde morbus gravior oriri posset, quod clarissime patet in Podagra anomala, sive retrograda, h. e. ubi natura, criticè agens, vel in tempestiva atque inepta applicatione remediorum, perversaque medendi methodo, vel alio quocunque modo impeditur, quo fit, ut malum ab exterioribus ad interiora redeat, maximasque cum præsentaneo vitæ periculo conjunctas excitet turbas: Vel etiam ubi natura enervata deserit partes externas, vel uti alii loquuntur, natura vim hostis videns desperabunda fugit ad interiora. Hujus motus testimonium clarissimum etiam dat febricula illa plus minusve intensa pro diversitate subjecti, reliquarumque circumstantiarum, illa enim nihil aliud est, quam celerior in illo actu expulso cordis motio cum conjuncta turbatione mixturæ, vel majore vel minore, qua plus vel minus totum corpus incalescit, suisque se prodit signis, interdum quidem satis luculenter, interdum vero subobscurè, ita quidem, ut ægri eam sæpe vix sentiant præ ferocia doloris. Hinc est, quod vulgo dicunt, podagram prolongare vitam, ista nimirum heterogenei ad partes ignobiliores expulsionem, in qua natura vires suas atque robur, quo pollet, ostendit; Hanc vero tendentiam naturæ ad partes illas inferiores probat conspicua vasorum sanguiferorum per tibiā in principio paroxysmi inflatio, quam dolor gravativus statim insequitur, prout hanc circumstantiam in proprio corpore observavit Sydenham; Illud autem heterogeneous, contra quod natura motum illum instituit, quibusdam est plethora sola, aliis cacochymia pituitosa, aliis sal acidum, vel fixum vel volatile. Veteres credidere, defluxum fieri liquoris alicujus pituitosi, aquei, à cerebro ad articulum pedis, & propterea illos maxime podagræ obnoxios observari, qui sint temperamenti phlegmatici, pituitosi & catarrhis obnoxii; Quod ex parte convenit cum ipsa sensatione podagricorum, qui liquoris alicujus instar guttæ aquæ fervidæ à superioribus

superioribus ad articulum pedis defluxum sentire se ajunt ; Plures autem reperiuntur podagrici, qui sunt temperamenti magis sanguinei quam phlegmatici, cum tinctura vel biliosa vel alia quacunque, de quo in seqq. Willisius existimavit, in corpore ad podagram disposito adesse acetositatem quandam succi nervei cum alio liquore naturæ alcalinæ in M. S. qui ad articulum pedis deponantur, & quod diversæ sunt indolis, per conflictum quasi, effervescentiam ibi causentur, exemplo spiritus vitrioli & olei tartari, in hoc vero actu fibras nerveas vellicari, postea coagulationem fieri, unde tophacea illa materia in podagra nodosa originem suam trahat, quæ quidem ingeniosa podagræ ætiologia est, sed multis difficultatibus referta, nondum enim probatum est, per nervos vehi liquorem, dari succum nerveum, ne dicam, dari talem in tanta copia; certum quidem est, madore quodam naturali internaque lubricitate etiam nervos gaudere, at nondum demonstratum est, nervos esse canales, qui liquorem quendam palpabilem certis usibus destinatum vehant; Sequeretur etiam ex hac Pathologia, omnem podagram esse nodosam, cum tamen experientia contrarium testetur; Et quod maximum est, talis succus nerveus acidus produceret motus spasmodicos antequam veniret ad articulos, sine illa antegressa effervescentia, ut de aliis difficultatibus non dicam. Thomas Sidenham, Anglus, magnum totius orbis Literarii Lumen, causam podagræ statuit labefactatam tam in partibus, quam succis corporis universis concoctionem, quam ex suis causis deducit in *tr. de podagra*. Necessæ autem est, ut intelligat levem tantum concoctionis labefactionem, alias nemo per 20. aut 30. annos podagricus esse posset, cum prorsus labefactatam concoctionem, vi riatamque chylicationem non possit non post paucos menses sequi cachexia, hydrops aliaque mala graviora; mihi sufficit, causam podagræ materialem esse heterogeneum aliquod naturæ adversum, quod partes membranosas vellicare, sicque contractiones dolorificas spasmodicas quasi producere aptum natum est, id quod plethora, orgasmus, serum acre, salsum, congestio sanguinis circa partem vel aliud quid esse videtur. Causa E. recurrentium Paroxysmorum podagricorum consistit in nova humoris talis peccantis à natura facta ejectione partiumque illarum vellicatione, cui favet, membri à prægressis paroxysmis orta debilitas atque infirmitas, ob quam facilius talem humorem admitit. Causa *Mediata Remotior ex R. N.* prima interdum est *Dispositio Hereditaria*, quæ, si unquam alias, hic sane plurimum valet; Id quod ex eo patet, quia hujusmodi subjecta, in quibus dispositio hæreditaria est ad hunc morbum, plerumque anticipant, & quandoque pueri adhuc aut juvenes podagra infestantur, quæ alias ætati declinanti tribuitur à Medicorum Parente *Secl. III. aph. 31.* Et ad aph. *Secl. VI.*

VI. 30. in quo dicitur, puerum podagra ante Veneris usum non laborare, Heurnius propterea hanc limitationem addit, nisi à parentum semine illa podagra nata fuerit; sic Paschalius vidit puerum septennem podagricum à dispositione hæreditaria tal. m, imo Schenckius observationes quasdam habet de infantibus podagricis; Ob eandem rationem testatur B. D. Metzger in *disp. d. Theor. affect. p. n. hereditar.* podagram transmigrare in sobolem, omnemque arthritidis speciem traduci, luce meridiana clarius esse affirmat, hinc tales morbi jure merito vocantur cum Rolancio parentales, & cum Helmontio seminales; quomodo autem hoc contingat, an impressione talis ideæ principiis seminalibus facta à generantibus simili labe infectis, vel alio quocunque modo, hic non disquiram. De Podagricis talibus vulgo etiam dicitur, quod nunquam aut rarissime seniles annos attingant, cujus asserti rationes reddit luculentas Exc. D. D. Stahl in *Theor. Medic.* Ratione *Sexus* non omnimoda intercedit differentia, fœminæ enim æquè observantur podagricæ ac viri, quanquam Hippocrates *sect. VI. aph. 29.* dicat, Mulierem podagra non laborare, nisi menstrua defecerint & Wedelius in *Coment. ad. h. l.* largiorem vini potum fœminis magis fere, quam viris podagram & arthritidem accersere ait; Cœterum *Temperamentum* sanguineo - cholericum cum tinctura tamen reliquorum temperamentorum, item habitum corporis succulentiorum & spongiosiorum ex constitutione plethorica imprimis huic morbo obnoxium esse observare licet. *Res N. N.* quod concernit, tria illa famosa omnibus notissima ac pessima nomina, *Ira* nempe, *Venus* & *Bachus* primas hic tenent; De *Ira* ipso sensu ac experientia constat, quod inter varia animi pathemata fere fortissimum sit, totamque M.S. ac Spiritus animales in motum agat, quo fit, ut tale heterogeneous in M.S. latitans ipsum quoque excitetur, suamque activitatem fortiatur; Ex Veneris vero abusu atque excessu quanta proveniant mala, res pariter est notissima, per istum enim spiritus magnam partem consumuntur, partes corporis à fonte caloris remotiores fiunt languidæ & ad resistendum minus idoneæ; unde quemadmodum in Logicis alias dicitur, Conclusio sequitur partem debiliorem, ita quoque morbus partem corporis debiliorem eo facilius occupare potest; Denique, omnem excessum in vini potu humoribus pravitatem quandam inducere, totumque nervorum systema debilitare, extra dubium positum est, adeo quidem, ut multi in podagra tam explicanda quam curanda huc fere unice respiciant; Maximum vero damnum podagricis affert vinum, quod terram tartaream & calceam secum vehit, qualia sunt, quæ in Alsatia & Austria nascuntur; Præter hæc tria vero, *suppressionis Evacuationum* multum ad podagram conferre valent, cum vel sola mensium suppressio fœminam podagricam facere possit, teste Hippocr. quemadmodum

quemadmodum & alia plurima fœminarum symptomata ab ista suppressione oriuntur, quippe qua temperamentum frigidius & humidius mutatur in calidum, quale podagræ magis convenire certum est. In viris autem huc pertinet fluxus hæmorrhoidalis; Helmontius autem eo progressus est, ut suppressam quoque exhalationem excrementorum pedum imminens podagræ prodromum esse dixerit: Id minimum certum est, quod nemo podagricorum sit, qui de libertate transpirationis insensibilis, expletionequæ naturali per vias ordinarias iusta, gloriari queat. *Res P. N.* huc spectantes sunt *Injuria Externa*, quæ pedes possunt reddere infirmos ac debiles, refrigeratio scilicet nimia, fractura, luxatio &c.

IV. *Differentia* inter ipsos PAROXYSMOS est manifesta, sunt enim podagrici, qui paroxysmos habent aliquot dierum, imo observationes prostant, de paroxysmo septimanarum, qui tamen non tam videtur unus & simplex paroxysmus, quam potius multi & particulares paroxysmi sibi continuo succedentes, i. e. exacerbationum & remissionum vicissitudines; alii breves admodum per 24. aut pauciores saltem horas; Quorundam paroxysmi regulariter quasi redeunt vere & autumnus, tempore juxta Hippocr. *Secl. VI. aph. 55. & secl. III. aph. 20.* huic morbo quasi proprio ac solenni, aliorum indiscriminatim; Quidam habent intervalla longiora, ita, ut per totum annum unum saltem experiantur paroxysmum, alii post spatium trimestre aut quadrimestre, imo singulis fere mensibus doloribus podagricis vexantur, qui in aliis fere intolerabiles sunt, ita, ut de morte sibi met ipsis inferenda quidam cogitarint, in aliis vero tolerabiliore & magis obtusi, ita, ut in lectulo, cui affixi sunt, quieti jacere possint; Magna quoque est differentia febris, quæ cum paroxysmo podagræ conjuncta est, multi enim febrem patiuntur cum doloribus intensis, præcipue calidiores, sanguinei vel cholericæ, alii, qui temperamenti sunt frigidioris, vix horripilationem sentiunt, cum subsequenti calore non admodum intenso, pro ratione non temperamenti solum, uti dixi, sed & ætatis junioris aut provecioris, in senibus enim omnia torpent, in junioribus vero fervent ac æstuant; Post paroxysmum multum quoque variat status ægrotantium, dum alii rigorem sentiunt sive stuporem in parte affecta, & impotentiam ad motum, alii satis bene se habent, & obambulare possunt sine magna difficultate. Huc spectaret quoque vaga podagræ indoles, qua plerumque & ex uno pede in alium, & ex his in manus, ac brachia, imo vel ulterius, non sine anxio ægrotantium tremore ad nucham &c. facta *metastasi* transit, nisi in solo pede podagram considerare, vi vocis, hac vice, in angustiis paginarum nostrarum maluissemus.

V. **SIGNA DIAGNOSTICA**, quibus podagra dignosci potest, & ab aliis quibuscunque pedum doloribus discerni, sunt sequentia. Communiter primum paroxysmus, ut & recurrentes subinde sine causa manifesta paroxysmos præcedit lassitudo totius corporis satis notabilis ac molesta, qualis in paroxysmo præter ordinem e. g. ab excessivo quodam animi pathemate vel à sinistra tractatione proveniente vix deprehenditur, sed is potius subito erumpit in actum. Succedit huic lassitudini Horror quidam major vel minor, interdum levis, interdum perfectè febrilis, quem excipit modo ordinario febrili, ætus sive calor, major vel minor, pro diversitate temperamentum, vitæ generis, ætatis &c. Sequitur Dolor, occupans pedem, infinitis modis varians, modo tensivus, modo fibratorius vel vellicatorius, modo lancinatorius vel palpitatorius vel rosivus veluti à cane rodente, uti dicit Baglivus, qui pro ratione subjecti per unum aut plures dies durat, uti dictum in th. præced. Hic dolor terminatur plerumque in stuporem, rigorem & tensionem partis, unde impotentia ad motum, quam augeat superveniens Tumor, qui est ad modum Erysipelacei, gradu saltem ab hoc diversus, quippe non suppuratorius, nec exulceratorius, sed sensim ac paulatim evanescens. Observatur etiam non rarò sudor, interdum solius partis afflictæ cum siccitate totius, non sine levamine, interdum modo Critico totius corporis, interdum totius corporis exceptâ sola parte affecta, si non ad augmentum, tamen ad impedimentum remissionis doloris: Appetitus plerumque in paroxysmo est dejectus, imo nausea, sæpe ad vomitum usque observatur, præsertim casu quo paroxysmus invenit ventriculum cibus imo potius cruditatibus plenum; Denique luculentum hujus morbi signum præbet Urina, quæ præter sedimentum febrile, bolare, in casu febris intensioris, habet adhuc minutum aliquod Sabulum, quod partim in fundo jacet, partim lateribus vitri affigitur, in forma crystallulorum, qui uti prætendunt authores, quantitate & pelluciditate repræsentent crystallulos tartari prima refrigeratione ortos, quorumque cum hypochondriacorum celebri sabulo convenientiam, vel si quæ subsit, discrepantiam hac vice non discutimus.

IV. **PROGNOSIS.** Cum Experientia constet, podagram esse morbum chronicum & curatu difficilem ex primo paroxysmo facile divinare licet plures deinceps secuturos esse, de quo Medicus ægrotum in tempore monere debet, ut diætam deinceps observet strictiorem, & ab injuriis quoque externis paroxysmum provocantibus sibi cavere discat; Quod si podagra ex dispositione hæreditaria originem traxerit, exigua aut prorsus nulla spes superest, ut quis ab ea penitus liberari possit, quamvis id prorsus impossibile non sit judice Dolæo, aliisque, si scilicet æger præscriptis medicis lubens morem gerat; Id vero beneficii loco reputandum, quod podagrici tum ab aliis gravibus quandoque morbis per podagram liberentur, tum si ab Epidemicis non tam facile corripiantur, ut alii: Ipsa vero podagra per se lethalis non est, neque

que ea laborantes ob podagram moriuntur, sed potius quia podagra ad articulos non de-
 scendit, dicente Baglivo. Quo intensior vero & acutior est Dolor paroxysmorum sæpe recur-
 rentium, eo major quoque esse solet metus secuturæ Contracturæ, quæ in se nihil aliud
 est, quam tendinum, nervorum & fibrarum diu, graviterque laceffitarum contractio & cor-
 rugatio, quo magis enim fibræ tenduntur, eo minus se possunt restituere, & facile obri-
 gescent, vel, si majoris resolvuntur, quod vel solo exemplo Mathematici illius celeberrimi
 Tychonis de Brahe constat, cui vesica urinaria ob copiosam urinam nimis diu retentam
 mansit expansa, ita, ut mori necesse habuerit; Huic vero statui sæpe jungitur partis illius
 atrophia & Tabes; Denique podagra diu inveterata post se etiam nonnunquam trahit No-
 dos circa articulos, i. e. tumores à crispatione tendinum, synoviae affluentis, humidique
 præsentis induratione & exsiccatione, qui tamen apud nos rari sunt, inde vero illud Poetæ,
 Tollere nodosam nescit Medicina podagram, quod de nodis materiam tophaceam jam con-
 tinentibus & dissiliantibus intelligendum esse videtur, cum ista nullo remedio attenuari aut
 subtilior reddi, multo minus digeri aut omnino resolvi queat; Huc etiam spectat, quod
 Hippocr. 6. Epid. Sect. 34. dicit, Multis in aquam intercutem desinit podagra, multis in asth-
 ma, hæc successio immedicabilis est, & inevitabilis, subintelligit vero forsan cachecticos,
 qui jungi possunt Observationes Baglivi podagræ in hydropem, anasarcam, nephritidem
 ut & Colicam terminatæ; Denique Medicus peritus facile videre potest, Podagram fore re-
 trogradam, anomalam, si viderit, ægrum neque diætam neque regimen ipsi præscriptum
 debito modo observare, sed cæco impetu in alia quavis noxia ruere, ac neglectis remediis
 à Medico ordinatis, iis, quæ vel Chirurgus imperitus vel alius forsan Empiricus circumfor-
 aneus suadet, incautius uti, qualia sunt adstringentia, repellentia, frigida, nimium emol-
 lientia, & quæ sunt hujusmodi, quo fit, ut à partibus exterioribus ad internas retrogradia-
 tur materia morbifica, & majorum periculo, vel in pulmonibus, asthma, vel in cerebro
 vertiginem aut apoplexiam, vel Colicam in intestinis causetur, cujus funesti eventus
 exemplum adducit Hagendornius in observat.

VII. CURATIO. Sunt, qui podagram pro morbo plane incurabili habent, & propter-
 ea nulla prorsus remedia præscribenda, sed totum potius negotium naturæ committen-
 dum esse putant; Verum, quemadmodum illi in excessu peccant, qui promiscuè omnem me-
 dicamentorum farraginem in morbo tam delicato adhibent sine judicio; Ita hi in defectu
 mihi peccare, & neque officio Medici, neque desiderio ægri satisfacere videntur, qui otiosi
 solum pugnæ spectatores existunt, naturæ vero, (cujus minister esse debet Medicus)
 nullam idoneis medicamentis opem ferunt. Quare operam potius perito ac fideli Medico
 dandam esse censemus, ut naturæ laboranti succurat, quoad fieri potest, si non ad eradi-
 candam plane ac tollendam podagram, quod vix semper sperari aut obtineri potest, ta-
 men ad leniendam illam & demulcendam: Quo fine, gazophylacium illud triplex, Chi-
 rurgicum puta, Pharmaceuticum & Diæticum omni studio ac labore excutiendum esse
 & quod ex his fontibus salutare ac proficuum hauriri potest, dextre adhibendum esse
 existimamus.

VIII. Fons CHIRURGICUS. Hic nobis sistit, ut in multis aliis, ita in hoc quoque
 morbo generosum, magnæque utilitatis remedium V. S. puta; Dixi in superioribus
 multos à nimia sanguinis copia, aut à suppressis Evacuationibus solentioribus fieri poda-
 gricos, quamobrem sanguineos, spongioso corporis habitu præditos, præ aliis podagræ ob-
 noxios observare licet; In his igitur & similibus casibus V. S. maximè præservatorie &
 in principio paroxysmi curativè non sine fructu quandoque institui potest, non neglectis re-
 liquis signis ad V. S. indicandam necessarijs; Sectionem in ipsa dolente tumenteque parte
 vix ausim cum quibusdam commendare; quamvis enim non in ea, cum Hippocrate & Celso,
 sim sententia, quod in omni articulorum dolore vena sit secanda, nullus tamen dubito,
 quia V. S. ceu remedium revellens, evacuans & alterans optime conveniat podagricis san-

Quincis, plethoricis, ipsi assuetis, & evacuationum familiarium suppressione laborantibus, Multi imprimis commendant Fonticulos, qui omnino locum inveniunt in subjectis serosioribus ad educendum serum nimis copiosum, acre, quod & ipsum podagræ materiam præbere posse, nemo facile inficiabitur; Alij ad cælum usque extollunt applicationem hirudinum, pro hæmorrhoidibus provocandis, imprimis ij., qui novam podagræ pathologiam supponunt, existimantes, podagram omnem nihil aliud esse, quam ipsamodicam motitationem partium affectarum ex hæmorrhoidali sanguinis nisu & compressione ortam, quod suo loco certissimum, saltem non de omnibus dici posse, ex eo colligo, quia multi sunt podagrici, qui nihil unquam hæmorrhoidalis senserunt, neque actualem sanguinis per illa loca eruptionem, neque illarum partium titillationem, neque tendentiam & aïssum ad illas partes sentiunt; Hinc locum quidem habere potest applicatio hirudinum, sed in illis casibus solum, ubi vel est fluxus hæmorrhoidalis antea familiaris suppressio, vel ubi vena hæmorrhoidalis conspicitur varicosa, vel etiam ubi sentitur sanguinis ad illa loca tendentia; Ex eo enim, quod quidam fluxum hæmorrhoidum justum ac sufficientem sentiunt, & nihilominus constanter podagræ sunt obnoxii, proum est colligere, hæmorrhoides non esse absolutum podagræ remedium; Tales autem dari testantur libri observat. Ita enim v. g. D. D. Strahlius observavit, virum quendam Illustrem aliosque complures laborasse podagra, una cum fluxu hæmorrhoidali per tempus bene longum; Utilitatem interim hæmorrhoidum confirmat observatio *Mouffeti in Theatr. insect.* ubi præponit historiam alicujus podagrici, qui eductione sanguinis menstrua per applicationem hirudinum facta, plene à podagra liberatus, annum ætatis septuagesimum nonum attigerit; Ad hunc fontem etiam spectat illud, quod *Godof. Kirch. in suis Calendaris ad annos 1691. & 1692. 1693.* proponit, quando scilicet ipsa hora novi lunii instituere iubet scarificationem & quantum aquâ calidâ, sinè cucurbitulis, facta tamen pressione effluat sanguinis, emittere, cujus reiectum admodum salutarem se in Viro quodam observasse ait; Denique in podagra Anomala interna, cum fructu instituuntur frictiones pedum, applicantur vesicatoria vel saltem plantis pedum rubefaciuntur.

IX. Fons PHARMACEVTICUS; Multi sunt, qui in ipso paroxysmo audent exhibere purgantia, & quidem non lenia sed satis fortia, effectum autem horum noxium graviter describit *Mingrave in tr. d. podagra anomala*, cumque in hoc consistere ait, ut natura ab exterioribus ad alvum tracta, ex podagra externa faciat internam, non sine manifesto vitæ periculo, & Cnæfeliustales purgationes jure merito appellari censet totius naturæurbationes, liquorumque naturalium colliquationes; Neque laxantia æque semper tuto adhibentur, neque durante paroxysmo, ob dictam rationem, neque extra illum, quia motu isto facile in quibusdam tenerioribus novus excitari potest paroxysmus; Hippocrates tamen dysenteria ait sanat podagram & aliæ cliquationes valde profunt, quæ ad inferas sedes repunt. Nec dubitandum, *metastasis* ad alvum criticam, laudabilem aliquando fortiri effectum; Febrî conjunctæ, quæ suis sese signis prodit, cum fructu opponuntur absorbentia, diaphoretica, anti febrilia, quibus interne accedunt ad dolores mitigandos, spasmosque relaxandos specifica Cephalica, nervina, calida, temperata vel frigida, pro diversitate temperamentorum reliquarumque circumstantiarum, exclusis tamen, nisi dolor sit revera symptomaurgens, omnibus fortioribus opiatis, utpote quæ materiam in articulis figunt, sique incommoda producant non levia. Fuerunt, qui ad debellandum hunc morbum cogitarunt de salivatione Mercuriali, illamque ad podagram extenderunt, & *Wedelius in tr. d. Medic. facultat. L. II. Sect. II. C. XII.* proponit historiam viri alicujus salivatione Mercuriali à doloribus podagricis per integrum triennium curati, addit tamen, podagram, quanquam in gradu remissiori, postea rediisse; Internorum Agmen claudat, illud remedium, quod *Job. Beguini in tyroc. chymic. p. 409.* proponit & Vellus Aureum vocat,

vocat, cujus prolixam præparationem vide apud eund. de virtutibus autem hujus remedii D. Weidnerus dicit, se solo hoc remedio se ipsum curasse penitus à doloribus podagricis, cum antea subinde podagricus decumberet, & immanibus cruciatibus torqueretur, & quod magis admirationem moveret, addit, se lana hac Aurea, uti vocat, quosdam in agone quasi constitutos in vitam revocasse, sit vero penes authorem fides. Externe multa ac varia partibus podagricè dolentibus applicantur, scopo potissimum relaxandi spasmos, mitigandi dolores, interque ea, multa in agri perniciem, qualia sunt repellentia, frigida, adstringentia, à quorum usu reportant quidem cessationem doloris ad tempus, sed dein experiuntur vel contracturam, vel nodos, vel podagram internam; Ita ferunt, Ducem Wirtembergiæ Ulricum b. m. cum podagra laboraret, pedes dolentes immerxisse in aquam frigidam, & sic, sensisse doloris remissionem; De eodem vero historiarum Monumenta testantur, quod per multos annos in statu miserrimo vixerit, adeo, ut neque pedibus incedere neque carru, neque equo vehi potuerit; sic aquam frigidam etiam commendat Hippocr. sect. V. aph. 25. cui vero oppono antecedentem aph. 18. ejusdem sect. quo frigida nervis dicuntur inimica; Varia variis etiam in usu sunt Epithemata emollientia & Anodyna, de quibus generale hoc valet, quæ non sunt naturæ spirituosæ resolventis in podagra plus nocent, quam prosunt, unde Baglivus abstinendum esse monet in podagra à medicamentis anodyno-emollientibus copiose adhibitis, si quidem ex nimio eorum usu generantur tophi, in articulis, quibus dein contracturæ succedunt, & Sydenham lenientia dolores facere ait diuturniores, intervallaque breviora. Idem videtur de Emplastris, quod satius & tutius sit, ista omittere, eò quod insensibilem transpirationem impediunt, cujus libertas maximum in hoc morbo est beneficium, quod illi experiuntur, quibus pars afflicta prius sicca & arida jam madet: His autem omnibus, (si quidem externe aliquid agendum videatur, quod non semper licet) alia blanda nervina, resolventia, possunt substitui, de quorum usu nihil mali est metuendum, quales sunt sacculi ex vegetabilibus convenientibus sicci; commendant aliqui illud Evporiston, Micam scilicet panis cum Croco & Lacte, sacculi tamenturiores etiam isto sunt; neque semper spiritus Sulphurei nervini æque tuti ac convenientes sunt, ut ut aliquando admittantur, urgentibus doloribus & ægris; sic Sylvius stupendam vim balsami Sulphuris succinati in tollendo dolore podagrico cum admiratione summa se expertum scribit, quod tamen omnibus promiscue vix conveniet; Alii extollunt usum theriacæ in forma Emplastri parti docenti applicatæ, quæ est resolvens, blandum, anodynum, neque semper tamen forsan aptum, tutumque.

X. Fons DIÆTETICUS. Uti Diætæ ad morbos inferendos plurimum valet, sic ad illos quoque curandos & sufferendos contribuit quam maxime, certissimum enim est, nullum in tota natura certius ac præstantius dari remedium, tam ad restituendam amissam & labefactam sanitatem, quam ad præsentem conservandam, Diætæ ad subjecta determinata & ordinata, multos hinc audies gloriari de curatis morbis etiam gravioribus, sola diætæ regimineque bono, unde & D. D. Stahlius Dissertationem de Abstinencia inscripsit de multorum atque magnorum morborum remedio, & hoc illud ipsum est, quod multi imò plurimi dicunt de podagra ipsa, illam non nisi exquisita curari diætæ, experientia nixi, qua observarunt, illos podagricos vixisse vitam quietiorem, pervenisseque ad ætatem profectionem, qui in assumendis remedijs fuerint parci, in observanda autem Diætæ stricta & exquisita, accurati, quod confirmat Observatio Franc. Alexandri, Medici cujusdam à D. Scholzio in Consil. Med. p. 709. allegata, de podagrico quodam quinquagenario, qui ob delictum carceri inclusus per aliquot annos, solo pane & aqua vivere coactus, per hoc in totum à podagra liberatus fuerit, & dimissus ex carcere per plures annos adhuc à podagra plane liber ac immunis vixerit; Et hæc sola est ratio Galeni, quod tempore Hippocratis tam pauci fuerint podagrici, nempe ob vitæ moderationem; Hic Ergo si unquam alias obtinet

illud; Abstine & efficies, quod Medicina nequit. Ut vero pateat, quomodo instituenda sit Dieta, breviter id, percurrento sex *Res Non Naturales* Medicis dictas, ostendam. Ratio & Experientia *aerem* temperatè calidum commendat, tum ratione totius corporis, tum imprimis partis afflictae, aer enim ambiens calidus, resolvit, discutit, spasmos relaxat, spiritus demulcet, sicque dolorem. si non plane tollit, tamen lenit & mitigat, cujus utilitas etiam ex malis, quae ab intempestiva partis afflictae denudatione proveniunt, patet: *Cibus* sit tenuis, moderatus, temperatus, facilisque concoctu, nimia enim ciborum repletio humores cumulat, cruditates auget; cibi vero naturae calidioris, calorem intendunt. De *potu* controvertunt Praetici, num concedendum sit vinum, an potius decoctum aliquod substituendum; Equidem Celsus podagricis in totum prohibuit vinum, illudque primo loco posuit inter ea, à quibus sibi qui temperaverint, securitatem ab hoc morbo per omnem vitam consecuti fuerint, cum quo consentiunt ii, qui curam lactis laudant & commendant uti Tschirnhausen, Langius, alique; Aurelianus vero, nolens podagricis esse exosus prohibendo in totum vinum, excessum saltem vitare iussit, dicens, ne quid nimis, maxime vini, aut indigestionis aut veneris, si quis enim alias vino sit aduersus omnimoda ab hoc abstinencia periculo vix caret, juxta illud *Hippocr. sect. II. aph. 49. & 50.* quibus innuitur, consuetudinem non temere esse mutandam; Erunt tamen quibus profuerit sensim desuescere à potu vini; Imo, ne cerevisiam quidem omnes concedere volunt, permoti forsitan verbis Dioscoridis, qui, cerevisiam laedere meninges ut & nervos cerebri, pravaeque inde procreari succos, ait, quod de cerevisia crassa, calida, spirituosissima, variisque herbis, ut fieri interdum solet, capiti noxiis, alterata, non aequè de tenui, laudabili probeque defecata, cujus usum maxime extollit Sydenham, intelligendum esse arbitror; Interim, quoad hoc quoque ad consuetudinem, quae altera natura est, respiciendum esse, ratio dicitur; substitui autem solent decocta nonnulla, quorum ingredientia infinitis modis variant, sic multi magni aestimant decoct. antipodagricum Regis Borussiae (quanquam illud restrictum magis sit ad paroxysmum) ex rad. polypod. sarsapar. dactyl. L. Guajac. cum aqua & vino; Alii decoctum Conorum pini, alii cum Richardo Lovvero prisanam sive decoct. avenaceum, alii decoctum Sydenhamii ex rad. sarsapar. L. sassafr. chin. ras. C.C. glycyrrhiz. sem. anis. alii alia. Absolutae necessitatis est *Quies* in paroxysmo non solum totius corporis, sed quam maxime partis afflictae, dolor enim ad minimum etiam motum augetur; quanquam Sydenham motum etiam in paroxysmo commendat satis vehementem, unctionem nempe in curru: Non minoris Necessitatis est *Motus* extra paroxysmum, moderatus & ordinatus, talis enim pedes à praegressis doloribus fere rigidos factos, iterum extendit, movendique potentiam faciliorem reddit, pars enim de cetero etiam sana, perlongum aliquod tempus nunquam mota, redditur rigida & ad motum inepta, quod ex Chirurgia patet, Chirurghi enim circumspetti semper commendant motum levem, deligata etiam parte, ne sc. natura plane obliviscatur instituendi illius motus, & ne partes agilitatem ad motum necessariam, longiore nimis mora prorsus amittant; accedit, quod motus promoveat insensibilem transpirationem, cujus libertas magnum huic morbo levamen asferre potest; imo multi Medici, deficiente totius corporis motu, particulares motiones e. gr. per frictiones pedum, aliarumque partium instituunt. In *Somno* & *Vigiliis* observandus est Modus; somnus enim nimis caput gravat, nervos debilitat, Spiritus reddit torpidos, malumque totius corporis habitum producit; Moderatus vero omnia in sua proportionem, iustoque ordine conservat: Nimiae vigiliae blandum roscidum absument, Spiritus dissipant, sicque multiplici modo nocent; Quanta *animi pathematum* in corpore humano sit efficacia, quilibet in se ipso deprehendit, unde & ista jure à Medicis relata sunt inter sex R. N. N. quorum usus finister corpus destruat; Iram vero praeter aliis affectibus vitandam esse, ex superioribus liquet. Ad *Excreta* & *Retenta* pertinet insensibilis transpiratio, de cujus utilitate & necessitate jam diximus: Alvas & urina respondeant assumptis, evacuationes ordinariae & consuetae non supprimantur, extraordinariae e. g. fluxus haemorrhoidalis &c. non intempestive sistantur. Ultimo loco & hoc addo, quod